DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

INSANIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
INSANIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PARIS THOMAS DICK,

EX INDIA ORIENTALI,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Mad call I it: for, to define true madness,
What is't, but to be nothing else but mad?

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.


LIBRARY

PATRI SUO OPTIMO ET AMANTISSIMO,

GEORGIO DICK,

PEDITUM PRÆFECTO EX COPIIS SOC. HON. IND. ORIENT.

CUJUS DEMUM SUMMA HUMANISSIMAQUE LIBERALITATE,

SUMMOS HONORES IN MEDICINA CONSECUTUS EST;

ITEM

CARISSIMO MAXIMEQUE BENEVOLO FRATRI SUO

GEORGIO S. DICK,

EX IND. ORIENT.

INFANTIÆ SUÆ DEFENSORI, AMICO, TUTORI;

HOC PRIMUM SUUM TENTAMEN,

QUA DECET PIETATE ATQUE AMORE,

CONSECRAT

PARIS THOMAS DICK.

JACOBO BRYCE, CHIRURGO,

COLL. REG. CHIR. EDIN. PRÆSIDI,

QUI,

INGENIO OPTIMO,

PARITER ATQUE MORUM HUMANITATE ANIMIQUE

BENEVOLENTIA SUMMA,

INSANIS OPTIMUS DIRECTOR AMICUSQUE EST,

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI, PROPTER PLURIMA IN SE

COLLATA BENEFICIA, TESTIMONIUM,

D. D. DQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

INSANIA.

PARIS THOMA DICK, Auctore.

QUONIAM a statutis hujus celeberrimæ Academiæ omnibus, qui summos honores in medicina ambituri sunt, imperatur, ut sermonem aliquem de rebus medicis proferant, sic unusquisque necesse est, illam rem agat, quæ studio jure digna videri possit. Itaque de Insania aliquid tractare cogito; cujus argumentum difficillimum quidem est, idem tamen omnium animadver-

sionem desiderat. Omnes enim huic morbo obnoxii sunt; ii tamen sæpius eo afficiuntur, quibus natura mens præstantior atque sublimior est; atque ita poëtæ pictoresque, ut ex PINEL, SPURZHEIMque et aliorum experientia constat: hinc non injuria medicorum summam considerationem res sibi vindicat. Etsi vero tanti est, tamen usque ad hanc ætatem, non neglecta quidem, parum tamen intellecta est.

Quid enim? Plurimi morbi qui olim periculosissimi putabantur, nunc pene absoleverunt, vel certe rarius videntur; Insania vero indies increscens, omnibus qui medicinam exercent opprobrio jamdiu facta est. Neque enim solummodo pro ratione populorum increvit, sed id incrementum longe superavit.

Hujus morbi natura in obscuro posita est; partim ad medicinam, partim ad scientiam metaphysicam pertinet. Alii quidem mentis, alii tantum corporis, malum esse volunt; quinetiam alii, inter quos HALLORAN invenimus, partim ad corpus, partim ad mentem, pertinere putant. Hoc utique certum est, quod ex eo utriusque functiones male se habent; illud igitur quærendum est, quo-

modo uterque afficiatur. Hoc tamen antequam facimus, necesse est perscrutemur significationem illius verbi *Insaniæ;* ex qua quid genus sit ipsius morbi, melius colligi possit. Igitur illud tantum modo intelligimus ex verbo *insania,* hominem non sanum esse, neque ad omnes suas functiones, et animi et corporis, valere. Sunt quoque alia verba quæ ad hunc morbum referunt, quæque, etsi varias significationes habeant, tamen ad eandem rem pertinent. Primum ex his *Maniam* apud Græcos invenimus; quod ex μαινομαι derivatur; unde intelligimus eos, qui hoc laborabant, furore quodam affectos esse. Deinde *Melancholiam* habemus; quod venit ex μελας et χολη, quoniam atra bilis, morbi in causa esse putabatur. Postremo apud Romanos Delirium; quod originem suam ex cursu vomeris duxit: ubi enim boves ex via erraverunt, tum de lira deflectere dicti sunt, quo factum est, ut qui a sana mente aberraverunt, ii delirare itidem dicti fuerint. Hactenus de vocabulis quæ hunc morbum significant, ex quibus ea commodius naturam ejus exprimere videntur, quæ ex Latinis quam quæ ex Græcis veniunt: id quod Cicero quoque putavit; qui de insania agens

"*naturam rei multo melius esse notatam verbis Latinis, quam Græcis*" proposuit. Nunc ad morbi definitiones venio. Sunt qui hunc morbum ita definiunt, quasi simplex sit, singulæque ejus varietates ad eundem morbum referri possint. Sunt qui putant sub hoc morbo cogitationes mentis abnormes esse, maleque inter se conjunctas; uti fit in somnio, ita ut a Cl. ADAMS insania tanquam somnium perpetuum, idque quod res externæ discutere nequeunt, definiatur. Alii rursus vires animi præter naturam intendi arbitrantur; alii ægrum aliquibus præter cæteros mentis affectibus, iræ, tristitiæ, superbiæ opportuniorem esse judicant; alii mentem ipsam vitio quodam ex toto affici contendunt. Illud vero pene perpetuum est, insanos, quæcunque delirant, iis summopere credere; atque ita ab HASLAM Insaniæ fons atque origo in credulitate pertinaci consistere existimatur. Morbus a CULLEN his verbis definitur; "*Mentis judicantis imbecillitas, qua homines rerum relationes, vel non percipiunt, vel non reminiscuntur.*" Ex quo intelligimus, animum ita corruptum esse, ut neque res externas recte percipiat, neque proprias suas ac-

tiones naturaliter perficiat. Neque enim rerum externarum justa apprehensio est, neque ex mala earum contemplatione idonea proficisci actio potest. Quod si una res est de qua homo desipit, de cæteris recte judicat, tum Melancholia laborare dicitur: sin autem de omnibus pariter delirat, tum Mania vexari eum judicamus. Minime vero perpetuum est, ut hujus morbi varietates alia ab aliis ita sejungi possint; qui enim harum aliqua affectus fuerit, is reliquis opportunus fit. Ex his quoque varietatibus, aliæ ab aliis perquam dissimiles sunt; siquidem, uti scripsit olim Celsus, "*ex phreneticis, alii hilares, alii tristes sunt; alii facilius continentur, et intra verba desipiunt, alii consurgunt, et violenter quædam manu faciant; atque ex his ipsis, alii nihil nisi impetu faciant, alii etiam artes adhibent, summamque speciem sanitatis, in captandis malorum operum occasionibus, præbent.*" Unde apparet insanian non tam simplicem, ut quidam putaverunt, morbum esse. Et quod ad eos pertinet, qui cogitationes sub hoc morbo male conjunctas esse existimant, hi etiam perperam judicasse videntur. Nam ut insanorum sermo varius

atque inconstans est, sic cogitationes ejus contra naturæ leges sociari dicunt. Veri tamen simile est, hos tantummodo ita celeres esse, ut parum commode verbis exprimi possint, ideoque sermo fractus disjunctusque evadit. At de ista opinione quæ insaniam mentis ipsius vitium esse vult, dicere nihil possumus; quoniam de natura mentis prorsus ignari sumus. Scire vero licet mentem, ut quæ corporea non sit, neque morbo, neque morti obnoxiam esse posse; id quod primum fortassis BURROWS satis ostendit, idemque postea a SPURZHEIM Doctoribusque MAYO, et cæteris pene omnibus medicis comprobatum est. Igitur, quid et quale sit Insania, quidque discrimen sit inter sanam mentem et insanam, quærendum est. Dicitur a GREGORY, "*nullum existere limitem inter sanam mentem et vesaniam; omnemque præter solitam hilaritatem ad insaniam vergere.*" Utitur quoque his verbis JOHNSON in elleganti illa eximiaque fabella RASSELAS: "*Disorders of the intellect happen much more frequently than superficial observers will easily imagine. There is no man whose imagination does not sometimes predominate over his rea-*

son; who can regulate his attention wholly by his will, and whose ideas will go and come at his command. All power of fancy over reason is a degree of insanity." Confiteri itaque necesse est, nos neque unde incipiat insania, neque quæ sit causa ejus recte novisse. Sufficit, si quid fiat intelligimus, etiamsi quomodo quidque fiat ignoramus. "*Veniet tempus,*" ut inquit SENECA, "*cum istæ quæ nunc latent, in lucem dies extrahat; veniet tempus cum posteri nostri, tam aperta nos nesciisse mirentur.*"

Atque hac quidem de natura Insaniæ: proximum est, ut signa ejus, quæ vulgò Symptomata nominantur, exponam. Horum plura genera sunt, propter plures ejusdem morbi varietates. Primum enim, ubi vehemens est, morbus incipit ab iis indiciis quæ phreniticis propria sunt. Caput sanguine maxime repletum est, summoque dolore torquetur; faciei quoque modo ingens rubor, modo subater pallor est. Oculi rubent, nitent, et protruduntur, sanguinisque nimiam copiam in cerebrum allatam fuisse manifestum est. Homo tum nihil nisi perperam facit, somnoque

privatur; conaturque loqui quam celerrime, atque ex uno ad alterum argumentum temere ruit. Ipse autem (ut modo dixi) summam fidem tribuit omnibus quæ stulte dixerit; facileque irascitur amicis suis, siqui voluntati suæ opponuntur. Quos prius dilexit, nunc odio habet; timetque ne sibi injuriæ sint. Itaque cum violentius se gerit, cavendum utique est ne quibus noceat, propterea quod vincire eum fere convenit. Pervigilat noctem, interdum ex lecto subito expergiscitur, conclaveque perambulans, aliena colloquitur. Denique ex his apparet, illum impetu quodam animi qui coërceri nequit, vehementer solicitari. In hoc vero, homo, si modo juvenis est, morbusque ejus non congenitus, idonea curatione sanari potest. Deinde est alterum Insaniæ genus quod mira hilaritate facetiisque incipit; homo tamen æque desipit, verbaque et cogitationes mentem affectam esse testantur. Qui hoc laborant, se honores habere fere existimant; alius se ducem, alius regem ipsum esse contendit; sunt etiam qui se a Deo omnem scientiam accepisse credunt.

Hoc quidem a Johnson, cujus iterum utar verbis, pulchre descriptum est; ubi aliquis qui diu astrorum studio se dederat, insaniaque denique affectus est, omnia sub potestate sua esse credebat. Hoc modo loquitur: "*I have possessed for five years the regulation of the weather, and the distribution of the seasons; the Sun has listened to my dictates, and passed from tropic to tropic by my direction; the clouds at my call have poured their waters, and the Nile has overflowed at my command; I have restrained the rage of the Dog Star, and mitigated the fervor of the Crab.*" Interdum quoque apud hos miseros tantum sapientiæ cum tanta dementia commiscetur, ut modo lachrymas, modo risus spectantium moveant. Horum enim aliqui tristes, dolores quos se pati credunt miserrime plorant; alius de infelici suo amore sermonem probabilem profert; alius ex vana criminis imagine putat fore, ut brevi pœnas maximas solvat. Functiones autem, in insania, corporis quodammodo vitiantur, ex quibus quidem sensus auditus potissimum lædi dicitur. Hoc tamen non perpetuum est; neque illud magis, quod ab Hill

notatur, proprium fœtorem maniacorum exhalationibus accedere: pariter enim omnes functiones plus minusve corrumpi solent. Alterum quoque est huic morbo proprium, quod insani maximo frigori se committere sine injuria possunt; quinetiam donec huic objiciuntur, sine morbo sunt; simul vero atque calescunt, morbus revertitur. Illud quoque scire licet, quod in utroque genere insaniæ morbi remissio sæpe fit; in qua æger sine ulla dementia se gerit, prudenterque de rebus omnibus agere potest, nisi si forte sermo ad eam rem transit, de qua desipere solet; quod ubi fit, iterum statim delirat. Quod si vero morbus interdum quiescit, tamen expectandum est fore, ut aliquando revertatur; id quod maxime certis definitisque temporibus, uti Spurzheim, postque eum Forster, videtur, accidere solet: verum hoc parum certum est; itaque considerandum est quæ signa hunc brevi futurum denuncient. Idque maxime, cum leges ab insanis potestatem eripiant hæredes suos legendi, iisdem autem, ubi morbus se remittit, id concedant, ante omnia medicus probe percipiat oportet quando talis remissio fiat. Igitur hic tum expectandus erit cum

homo vespere piger et hebes est, cum se una positura corporis continet, vel membra sua quasi ex molestia quadam jactat. Hæc omnia alteram morbi accessionem cito reversuram monstrant.

Atque hæc quidem signa morbi sunt. Sequitur ut de iis notis quæ adaperto corpore animadvertuntur dicam. Quanquam vero verisimile sit, ut aliquid de natura morbi ex aspectu cerebri, post mortem colligere possumus, tamen confitendum est, id ex toto incertum esse. Dubitandum enim, quod cerebro patefacto, apparet, id sit morbi causa an hujus tantummodo effectus. Etenim qui insania laboraverint, iidem aliquando aliis quoque morbis opportuni fiunt; quibus cum sæpius interimantur, dicere non possumus insaniane, an his potius, occisi sint. Interdum enim insani vel morbo comitiali, vel paralysi tentantur; qui morbi, cum ad cerebrum ipsum pertineant, sic in hoc mutationes eas facillime efficiunt. Accidit autem aliquando ut cerebrum post mortem omnino integrum sit; ubi vero nullas in eo mutationes invenimus, incertum tamen est, hæ ibi fuissent necne. Cerebri enim structura tam multiplex est, tamque varii ejus

usus, qui vix, aut ne vix quidem, cogniti sunt, ut plurima ejus vitia oculos nostros lateant; atque hæc quidem, ubi morbos gravissimos excitaverint. Vasa cerebri sæpius sanguine turgent; hoc autem insaniæ non proprium est, quoniam id etiam accidit in phrenitide. Sunt quidam auctores qui cerebrum sub hoc morbo mutatum fuisse contendunt; ex quibus celeberrimus BOERHAAVIUS sic dicit: "*Notandum vero anatomica sectione, constitisse horum cerebrum siccum, durum, friabile, in suo cortice flavum, vasa autem turgentia, varicosa, atro, tenaci, cruore distenta fuisse.*" Idem quoque proposuit VAN SWIETEN qui dixit: "*Cadavera maniacorum aperta docuisse cerebri mutationes.*" Dicitur a MORGAGNI cerebrum insanorum durius esse; cerebellum autem mollius quam pro natura. Itidem a GREGORY propositum est, cerebrum induratum scirrhosumque fieri. Quod si ulla mutatio est, ea sæpius in membranis, quam in ipsa substantia cerebri, evenit. Interdum tunica arachnoidea densior justo fit, et sub ea lympha coacta inventa est. Interdum ipsa substantia mutata est, cujus partes non raro duriores crassi-

oresque fiunt. Illud autem manifestum est, quod aliquid, vel in ipso cerebro, vel certe in functionibus ejus, mutationis sit; de hoc vero nihil pro certo scimus.

Quod vero ad prognosin morbi pertinet, ex multis rebus colligitur; sic tamen ut plerumque ex causis mali cognoscendum sit, quis finis ejus sit futurus. Fœminæ post partum insaniæ obnoxiæ sunt; quæ tamen semper fere ad sanitatem redeunt. His vero, dum morbus manet, lac deficit, paulatimque lochiis quoque deseruntur. Ubi vero hic morbus congenitus est, non raro eum post partum accedere videmus. Hic quoque in fœminis, quibus jam menstrua desierunt desinere videtur. In juvenibus potius quam in senibus, morbus sanabilis est; ex iis enim qui in valetudinaria nostra accipi solent, juniores longe citius quam cæteri sanantur. Quos morbus inter initia violentius corripuerit, ii maturius sanescunt; quibus vero tarda fuerit accessio, tarda plerumque refectio est. Plures quoque ex furentibus quam ex tristibus convalescunt. Ubi mens tarde paulatimque infirmatur, prosperæ valetudinis nulla spes erit. Qui paulatim in sanitatem redeunt, iis diu-

tius firma valetudo superest. Morbus, ubi ex corporis potius quam animi læsis functionibus pendet, citius sanari potest. Ubi æger pinguescit, si modo idem non infirmus est, cito plerumque ad sanitatem redit.

De causa proxima hujus morbi ignari sumus; quoniam quæ cerebri sit mutatio, atque quidem an ulla sit, nescimus. Nescimus quoque functiones structuramque ipsam cerebri; ideoque causas proximas insaniæ, aliorumve morborum qui ad id pertinent, perscrutari ægre possumus. Quod tamen ad causas prædisponentes attinet, scire licet, si alteruter parens hoc morbo affectus fuerit, totam prolem eidem obnoxiam futuram. Causæ excitantes in duo genera dividuntur; alteræ ad mentem, alteræ ad corpus pertinent. Interdum ex ictu vehementi in cerebrum proficiscitur, unde tumores et exostoses inter cranium nascuntur; quod accedit fere militibus aliisve hominibus qui his casibus patent. Febres quoque insaniam sæpius excitant; ex quibus ea, quæ Typhoidea nominatur, non raro in hunc morbum desinit. Interdum ex ebrietate, insania originem suam habet; solet etiam incipere ubi nimia copia hydrar-

gyri adhibita fuerit. Sunt quidam morbi qui aliquando Maniam movent; quorum syphilis morbusque comitialis exempla sunt. Hæc omnia sunt, quæ causis physicis adnumerari possunt. Ex iis autem quæ animo propriæ sunt, sors infelix, et vetus dolor, et amor infaustus, et subitus terror, et nimium studium, omnes denique vehementes animi affectiones, nos insaniæ opportuniores faciunt. Ex his autem nulla, aut magis vulgaris, aut perniciosior causa, quam religio est; maxime in his regionibus. Ego enim non paucos miseros vidi, Insania correptos, posteaquam per aliquamdiu fanaticorum delirationibus assedissent; eosdemque, non modo plane insanabiles fuisse, sed etiam mortem suam non raro conciliasse expertus sum. Sermo enim funestus et vehemens, actiones rudes insanæque, vox horrida atque lugubris qua minas suas ex pulpito effundunt, simul terrent, atque resolvunt animos audientium rudium et incultorum. Unica imago, eaque miserrima, ob oculos eorum usque versatur, animosque assidue implet. Nihil cogitant nisi de pœnis perpetuis, quarum continua cogitatio, non mirum est, si judicium ita perturbet, ut Insaniam faciat.

Intentis enim præter naturam animis fieri non potest, quin cogitationes confusæ, disjunctæque sint ; atque has brevi Insania, quæ proxima semper est, omnino diruit. Tot, tantaque mala ex dira superstitione proveniunt ; tamque ingens est eorum multitudo, qui istam per terram totam diffundunt, ut summopere oporteat eos, qui leges ferunt, summam dare operam ut malum, quod veræ religionis tantum nocet, quamprimum corrigant :

" Thou fair Religion wast designed,
Duteous daughter of the skies,
To warm and cheer the human mind,
To make men happy, good and wise ;
To point, where sits in love arrayed,
Attentive to each suppliant call,
The God, the Universal Aid,
The God, the Father of us all."

DE HUJUS MORBI CURATIONE.

Quoniam in hoc morbo duo homines non temere inveniuntur, qui eo similiter affecti fuerint, sic curatio non eadem in omnibus est. Hæc vero commode sic incipit. Ubi mens ad insaniam tendit, primum est, ut eam ex timore, qui tum maxime solicitat, futuri delirii convertamus ; ideoque necesse est, remedium aliquod excogitemus, quod ita adhibendum est, ut ægrum sine evidente consilio fallat. Hunc igitur maxime tempestatibus committere oportet, frequentibusque exercitationibus, ante omnia, utendum est. Interdum ei persuasendum est, ut iter subito ad littus faciat, indeque ut naviget. Deinde ubi longo itinere multisque periculis et laboribus fatigatus fuerit, mens ejus tanta solicitudine occupata, genusque nervosum tam variis rebus objectum, ad sanitatem denique revocari possunt. Hæc enim corporibus æque atque animis robur et vigorem præbent; remediumque ita salutare efficiunt, ut morbus raro, vel nunquam redeat. Quod vero

nihil melius hac curatione est, apparet ex iis qui exercitationibus maxime dediti sunt. Omnes enim qui multis laboribus exercitantur, nautæ scilicet militesque, quique sub divo semper vivunt, agriculturæ officiis occupati, hi generis nervosi malis minime obnoxii sunt. Hinc quomodo insanis mederi debeamus, colligere possumus. Quod vero ad istam curationem pertinet, qua plures in nostris temporibus utuntur, qua æger inter alios quasi in carcere includitur, nihil pejus miseriusve esse potest; tum enim mens ejus inter socios infortunii, sui imaginem usque contemplatur. Neque dubitandum est, quin unum tantummodo navigium, in quo insani navigationem subinde faciant, iis majori commodo sit futurum, quam omnia valetudinaria, quæ diu per terras nostras ædificata fuerint. Tamen in omni curatione illud primum considerandum est, quemadmodum omnia quæ morbum prius excitaverint, dimoveamus; quaque ratione insani animus quam certissime in pristinam suam sanitatem revertatur. Igitur maximi momenti est, ut ab initio statim morbi æger domum suam relinquere cogatur: quo sejunctus ab amicis, cognatisque suis, positusque inter

alienos, novas cogitationes ex novis rebus suscipiat, quæque prius in animo existebant, memoriaque prioris infortunii, ab animo abripiantur. Id si fecerimus, curatio pro certo salutaris futura est. Ut enim cogitationes insanorum cum rebus quas domi vident, quodammodo sociantur, sic quotiescunque eas aspiciunt, morbus etiamsi quievit, tamen redit; quo fit, ut si omnia quæ ob oculos versari solebant, subito remota sunt, una certe causa morbi tollatur. Proximum est, ut medicus quæ sint ægri consuetudo et habitus sciat. Itaque hæc de amicis ejus quærenda sunt, unde morbus originem suam duxerit, naturaque ejus pigra an vehemens sit; nosque, pro natura cujusque, gerere oportet. Utique tamen animum ægri conciliare curans debet; quod si id aliquando ob miseram dementiam fieri ægre potest, tamen ad hoc, ante omnia, omnis curatio spectare debet. At qui sub hoc morbo mansuete se gerunt, quoniam sine difficultate continentur, id utique leniter benigneque semper faciendum est, sic tamen ut mandatis nostris continuo parere cogantur, quo se esse sub potestate nostra sentiant. Ubi furor maxime urget æger statim continendus est, ha-

bendusque in tenebris, et vinculis coercendus, ne vel sibi vel alteri noceat. Vincula autem diversa sunt; ex quibus ea vestis quæ pectus brachiaque arcte constringit, etsi utilis sit, tamen spiritum aliquando impedit, ideoque perniciosa est: eadem quoque sub æstatis tempore furorem auget. At homo in conclavi securo, et in tenebris, quoniam lux ipsa morbum movet, habendus est. Privationibus etiam contumeliisque cum prave aliquid fecerit, reprimendus: contra blanditiis præmiisque, ubi bene se gesserit, incitandus. Sæpius tamen assentiendum ei quam repugnandum est; docemur enim experientia eos optime sanari, quibus omnia jucunda tribuuntur. Res quoque ordine disposuisse, eosque justo æqualique imperio continuisse, magni momenti est. Ubi vero necesse est, ut coerceantur, id, ut supra dixi, quam lenissime faciendum est. Donec etiam cum eo colloquimur, nunquam nos ita gerere debemus, quasi iis quæ stulte dicuntur, non assentiamus; illum vero decipere non licet, nisi si quid mali acciderit, quod, dum morbo urgetur, celare eum opus est. Putabatur olim eos qui insania vehementius laborabant, interdum ex aspectu aliorum

insanorum sanari: hoc vero tentare supervacuum est. Nihil vero in curatione omittere debemus, quamvis ridiculum, quo affectus animi quodammodo levari, pravæque cogitationes mutari, possint.

Atque hæc quidem de remediis, quæ ad animum insanorum spectant: nunc de iis medicamentis, quæ in hoc morbo adhibentur. Igitur notandum est, inter primas vehementes ejus accessiones, capitis venas semper repletas esse, unde rubor faciei fit, pulsusque arteriarum, quæ carotidæ nominantur, frequens est; accedunt quoque signa omnia quæ phrenitidi propria sunt. Hæc igitur ubi ita sunt, etsi pyrexia abest, tamen ob alia indicia quæ supra dixi, *sanguinem mittere* opus est, uti ARMSTRONG, SPURZHEIM, MAYO, denique omnes pene qui nuper de Insania egerunt, suadent. Interdum autem accidit, ut sanguinis detractio perniciosa sit, morbumque ipsum intendat. Cavendum igitur est, ne id fiat; ideoque quæ hominis natura sit, imprimis considerandum est. Ubi enim is robustus et plenus mediæque ætatis est, et morbus nondum inveteravit, actio autem vasorum in cerebro inæqualis est, tum

sanguinis detractio utilis esse potest. Sanguis vero ex capite mittendus est, præsertim ex arteriis temporalibus; hunc tamen pro natura hominis, proque arteriarum actione detrahere oportet. Venas quoque colli incidere, vel cucurbitulas eidem parti adhibere, vel caput tondere, idque frigida aqua perfundere licet. Minime vero perpetuum est, uti dixi, ut sanguinis detractio salutaris sit, modo enim proficit, modo inimica est. At cum huic remedio quidam scriptores ex Gallia adversentur, tamen inter eos, qui in his regionibus medicinam exercent, nulla propemodum de hac re dissentio est. Cruditas quoque in hoc morbo frequens est; quinetiam morbus omnino ex ventriculi intestinorumque vitiis originem suam non raro ducere a Pinel, Percivalque et aliis existimatur. Ideoque *alvus subinde moveri* debet: purgationes autem non temere adhibendæ sunt. Quod si dantur, ea medicamenta potius dare oportet, quæ drastici generis sunt. Hujus exempla sunt elaterium, et hydrargyri submurias, et jalapa. Interdum quoque solutiones neutralium salium, atque paulum tartratis antimonii, eodem consilio adhiberi possunt. Veteres, inter

maniam curandam, plurimum generi cuidam hellebori tribuere solebant; quod cum Anticyris maxime nasceretur, ortum est adagium per quod Insani eo mandarentur: verum id remedium jamdudum obsolevit. Quod vero ad *vomitoria*, parum constat apud auctores de eorum utilitatibus; laudant quidem Pinel, et Cox, et Monro; contra Spurzheim iis adversatur; item Haslam, ut qui resolutionem nervosum ex iis interdum nasci animadverterit. Hæc tamen utique non semper adhibenda sunt, quoniam capitis congestio hæc fere sequitur. Aliquando *camphora* adhiberi solet; atque hæc, ubi morbus inveteraverit, utilis est, si a granis decem ad drachmam bis terve quotidie data fuerit. Modo *opium* in hoc morbo salutare est, modo morbum ipsum auget; iis vero præcipue salutare est, qui leniter afficiuntur. Sunt quoque alia sedantia, hyoscyamus scilicet, coniumque; ex his vero alia ab aliis laudari solent. Bonum remedium esse putabatur, ægrum *aqua frigida perfundere;* longe tamen melius identidem in balneum descendere, in quo aquæ calor est ad gradum nonagesimum et quartum, (therm. Fahr.). Est quædam curatio quæ, auctore Lu-

CETT, nuper in his regionibus laudata est; sub qua æger in balneum demittitur, caputque ejus simul aqua frigida perfunditur; hoc vero minime utile est. *Vesicatoria* quoque inter initia hujus morbi bona esse putantur; atque hæc semper salutaria sunt, præcipueque ubi morbus vetus jam factus est. Setacea quoque, moxaque, et iis similia, commode adhibita sunt: sed curatio pro forma morbi usque moderanda est. Neque enim ullo modo sperandum est, ut singulare aliquid medicamentum omnibus his varietatibus aptum sit. Interdum mutatio organica est, quæ ubi fit, locus medicamentis nullus est. Præter hæc medicamenta, parum aut nihil prodesse solent multæ istæ *specificæ* (uti vocantur) quæ variis temporibus laudatæ sunt;—licetque sermonem verbis HEBERDENI claudere: "*Præter autem hæc pauca, nihil cognovi quod aliquid opis in se habeat, ad hanc tantam calamitatem levandam.*"

FINIS.